



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Diff. 1. Argumenta pro Conclusionē.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

formidine significat Capreolus in 1. d. 36. q. u. nica a. 2. quam explicationem passim sequuntur Thomista, & ex Nostros post Fons. Gradius t. 4. d. 3. & Quiros d. 48. f. 4. *Sic*

DIFFICULTAS I.

*An Futura coexistant Aternitati
ab aeterno.*

DICENDUM est. *Futura non coexistere Aternitati ab aeterno, existentia in se derivata ab aternitate.* Ita prater cit. reliqui Nostros, quorum meminit, quos & sequitur Ruiz. d. 28. Perez de Intel. Dei. d. 6. a. 13. cap. 7. Fassolus q. 14. num. 31. & ex Dominicanis Sylvester, qui coetaneus Cajet. & Magister sacri Palatii, Censorque Pontificius appellat illam erroneam, & quod ex ea videatur aliquid sequi contra fidem. Videatur in Conflato doctrinae S. Thom. p. 5. q. 14. num. 16. Ex hac autem conclusione facile est deducere, quod coexistentia non sit medium proportionatum noscendi ab aeterno futura conditionata, si ipsa coexistentia, non datur.

Punctum Difficultatis 1.

Argumenta pro Conclusionem.

PROBATUR 1. Si Antichristus ab aeterno coexistet aternitati Dei, coexistet existentia in se derivata ab ejus aternitate; sed existentia ita derivata non coexistit. Quod ipsum probatur, seclusa Nunc-existentia divina in seipso, nunc non habet Nunc-existentiam, alias jam non esset futurus, sed praesens; ergo etiam accessu Nunc-existentiae divinae reddi non poterit nunc existens, adeoque coexistens. Consequentia probatur, quia nihil potest esse Ens per Entitatem alienam; ergo neq; existens per existentiam alienam, adeoque coexistens. Tum quia negatio Nunc-existentiae intrinseca Antichristi, vel tollitur per illam extrinsecam Nunc-existentiam divinam vel non tollitur? Si non tollitur, ergo vera est negatio Nunc-existentiae, adeoque excludens coexistentiam; Si autem tollitur illa intrinseca negatio Nunc-existentiae Antichristi, ergo intrinsece existit nunc, antequam sit. Tum quia arguendo per imaginariam similitudinem ut vocant, supponamus divinam Nunc-existentiam esse lucem. Supponamus Antichristum esse illuminabile, supponamus non existentiam esse tenebras auferendas, haec lux Nunc-existentiae divinae quomodo illuminare potest Antichristum nunc, si Antichristus nunc non est; & si in illo non tollit tenebras non existentiae. Tum quia pro illa differentia, qua Antichristus existit, vel habet plus illa existentia Antichristi in ordine ad coexistendum Nunc-existentiae divinae, vel non habet plus; si non

habet plus, ergo ita non existet tunc, atque non existit ante; si autem habet plus, quid illud est, nisi tale, cujus negatio nunc, facit de illo verificari propositionem; Non habet Nunc-existentiam, adeoque coexistentiam.

Quod si dicas, duplicem tunc existentiam habiturum Antichristum, & suam, & existentiae divinae. Contra erit, quia illa Nunc-existentia orta a Dei aternitate non plus importabit quam Deum existere in se, cum in se non existit creatura, sed existet postea, & si per Nostros humanitas Christi D. non potest existere per existentiam Verbi, quomodo existentiam ab aternitate participabit Antichristus? Tum quia sequeretur alias aternitatem Dei non complecti non Entium, non cum illis, tribuatur ab aternitate coexistentia. Unde illa erunt extra aternitatem, consequenter aternitas non erit aternitas; non enim ambiet omnia. Tum quia etiam per oppositos haec propositiones; Antichristus existit, Antichristus non existit, pro diverso tempore habent veritatem; & tamen negativa nunquam haberet veritatem, eo quod semper Antichristus existat, existentia aternitatis.

PROBATUR 2. Restituendo argumenta, quae sibi objecit Quiros, suntque communia, & quae solvere conatus est.

1. ARGUMENTUM est. Quia & coexistere aternitati illa futura & non coexistere; coexistere quidem ut supponitur, non coexistere autem, quia coexistentia est duorum existentia, & tamen non supponitur, v.g. Antichristus existere. *Ad ea quae huic rationi opponit solvenda,*

NO T O. Nullam esse rationem, quare ad verificandam propositionem tempus importan-tem, sit necesse, ut affirmans sit in illa differentia temporis; alias etiam propositiones de praeterito falsae essent; quia in praeterito non existimus.

Deinde cum veritas sit conformitas cum objecto, si in objecto reperitur fundamentum verificandae propositionis, sive existas in illa differentia, sive non, parum refert, modo adsit conformitas cum objecto: & quamvis fieri possit, ut uno non nisi se movente, duo reddantur sibi vicini; non tamen sequitur uno existente, hoc ipso, alium existere: immo sicut ad indistantiam est necesse duos habere intimam praesentiam, nec sufficit unius praesentia; ita ad coexistentiam, est necesse haberi duorum intrinsecam existentiam. Quando autem dico, Petrus currit, licet possim me reflectere, quod cursus illius meae cognitioni coexistat, sed ad veritatem illius propositionis hoc non est necessarium, sed sufficit ut coexistat huic Nunc-temporis, a quo, determinationem ad praesentialitatem, nunc habet.

2. ARGUMENTUM est. Ut existat res in aliena mensura, opus est ut concipiatur prius in pro-

propria ex Arist. 4. Phys. c. 2. t. 14. Et ita possi-
bilia non dicuntur coexistere aternitati: Quia
in nulla mensura propria durationis existunt.
Sed de presenti in nulla mensura & duratione
propria existit Antichristus; ex quo neque aterni-
tati coexistit.

In idem recidit, si di-
cas: Itamodò nihil est de Antichristo, sicut ni-
hil est de remerè possibili; ut totum discrimen
sit de futuro, non de presenti; ergo quemad-
modum de presenti res possibilis non coexistit
aternitati, nec futura coexistit. *Ad ea, quæ*
hæc rationi opponit Quirós, solvenda

NOTO. Sicut existentia Dei nullum tribuit
esse coexistentiæ possibilibus; quia in se non
habent existentiam; sic nec tribuet Antichristo;
quia etiam Nunc existentiam non habet nunc;
sicut non est imaginabile, quòd Roma dica-
tur indistans Deo, solius Dei indistantia; ita
nec Antichristus reddetur coexistens, sola ex-
istentia aternitate. Et sicut indistantia divinâ
Vallisoleti habitâ, non denominatur Roma in-
distans Vallisoletum, sed tantum indistans à Deo,
qui etiam Vallisoletum non distat; ita neque
Nunc-existentia Dei adferet Nunc-existentiam
creaturæ, quæ in se dicit negationem existen-
tiæ. Immeritò etiam Quirós negat, quòd res
existant in aternitate; sed quòd aternitas in
illis existat, cum potius contentum in continen-
te existat, non è contra, aperteq; S. Paulus do-
cet, quòd in Deo moveamur & sumus.

ARGUMENTUM est. Antichristus non
habet esse pro omni tempore, sed pro aliquo de-
terminato: Neque enim est ita præsens aterni-
tati, sicut Spiritus S. Ergo solum in tempore
determinato poterit affirmari præsencia, non
ante illud tempus, alioqui illimitatæ durationis
fuerit Antichristus: Sicut illimitatæ ubicationis
fuerit res, de qua ubique affirmari posset præ-
sentia immensitati. *Ad defendendam hanc ra-
tionem*

NOTO. Quòd sicut Antichristus, quia non
habet se fundamentum, ut semper affirmetur
præsens à Dei existentia semper præsente; ideo
negatur de illo semper præsencia; ita Nunc,
cum non det fundamentum Nunc-existentiæ,
non poterit denominari nunc-coexistens; &
sic semper & ubique præsentialitatem non
accipit semper & ubique præsentialitate divi-
tati: ita nec accipiet nunc-existentiam, à nunc
existentiâ divinâ.

Immeritò etiam af-
firmat, quòd Deus non possit affirmare Anti-
christus existit nunc; si enim est coexistens
nunc, quomodo non erit existens nunc? Et si
affirmat irrestrictam existentiam Antichristi,
creaturæ poterit & creatura, quod negat
Quirós.

PROBAT 3. Ruiz. Tum quia si cunctæ res
creaturæ ab aeterno coexistunt aternitati, etiam
coexistunt inter se, ex illo principio; Quæ sunt
eadem unitertio; Multa autem non possunt

coexistere inter se, ut inter cætera prius & po-
sterius mortis. Tum quia Deus nulli loco est
præsens, antequam locus existat; ergo nec ulli
rei coexistens, antequam in se existat. Tum
quia licet nihil possit coexistere aternitati nisi
coexistat toti; inde tamen non potest colligi,
quòd coexistat aternitati; quia aternitas non
habet principium & finem, quomodo enim ex
eo, quòd aternitas non habeat principium & fi-
nem derivatur coexistentia, in non existens; er-
go neque exinde inferri potest, quòd Antichri-
stus nunc coexistat aternitati.

Punctum Difficul-

tatis 2.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT 1. Alvarez de Auxiliis d. 8. cum
aliis Thomistis varias Auctoritates.

1. AUCTORITAS est S. Thomæ ex 1. con-
tra gentes c. 66. v. 6. & ex 1. p. q. 14. a. 13. in cor-
pore, & in 1. d. 38. q. 1. a. 5.

RESPONDETUR. Primo loco non plus vel-
le S. Thom. quàm quòd futura cognosci possint
in seipsis, ad quod sufficit præsentialitas pro cer-
ta differentia; quod solum vult etiam secundo
loco & tertio.

2. AUCTORITAS est S. Script. SS. PP. Sed
multæ ex illis solum asserunt, Res Deo objecti-
vè esse præsentes. D. Aug. etiam Soliloq. c. 26.
non plus vult, quàm quòd cognoscat omnia,
quæ ordinavit. Libro autem 5. de Trin. c. 16. &
ibidem lib. 15. cap. 7. quando dicit futura jam
facta esse ante Deum, id intelligendum ratione
præsentialitatis, quam habent pro certa diffe-
rentiâ temporis ante Deum, non verò ratione
coexistentiæ; cum enim illâ præsentialitas sit
præsentialitas facti, estque ante Deum, videt
Deus factum; vel certè: Omnia sunt ante
Deum facta ab aeterno, quia sicut factum non
potest non esse factum; Ita quòd Deus novit
futurum, non potest non esse futurum, deter-
minatione sibi proportionata.

3. AUCTORITAS est eorum PP. qui negant
Deum habere præscentiam futurorum, sed so-
lam scientiam, qualis fuit D. Gregor. lib. 20.
Mor. cap. 25.

RESPONDETUR. Haberi etiam locutiones
SS. PP. immo & ipsius S. Pauli ad Rom. 8. ap-
pellantis notitiam divinam præscentiam;
Qui autem SS. PP. non utuntur hoc nomine,
non id faciunt ut asserant coexistentiam Tho-
misticam, sed quia Deus nescit illa in formalitate
præsentialitatis illorum, quam habent ab
aeterno pro certa differentia, præsentialitas au-
tem scitur potius, quàm præscentur. Rursus
quia præscentur supponit interdum pro Rem im-
perfectè noscere, hinc solent multa re posita
innotescere, quæ antea non præscentantur;
Deus verò nescit res, non nisi perfectissimè.

I 4

Quan-

R. P.
H. MŁOD
ianowski
Tbm. A. e. Z.
D. VI